

NOTITIAE BIBLIOGRAPHICAE

* Asterisco indicatur auctor qui a nostra Congregatione alienus est.

JOSEPHUS LÖW

CURIOSA QUAEDAM EX LIBRIS RECENTER EDITIS

Gabriele M. ROSCHINI, OSM, *Dizionario di Mariologia*. Editrice Studium, Roma 1961, XII-517.

Ibidem, pag. 25, agitur de nostro S. P. Alfonso, optime quidem. Accidit tamen, ut termini vitae eiusdem ita indicentur: *1699, †1778 (recte 1696, 1787). In « Bibliografia » allegatur etiam nostrum *Spic. hist.*, ubi habetur studium RP. is O. Gregorio, *La Madonna Immacolata nelle canzoncine spirituali di S. Alfonso M. de Liguori* (3 [1955] 182-195).

Paul AURAY*, Pierre POULINE*, Albert BLAISE*, *Le lingue sacre*. Edizioni Paoline, Roma [1959], 198; versio ex lingua francogallica, sub titulo: *Les langues sacrées*. Fayard, Paris 1958. - Versio in linguam italicam facta est a G. Castoldi.

In hoc libro, ceterum optimo, laudatissimus vir Blaise, latinitatis christiana eximius cultor et divulgator, pag. 158 loquitur de latinitate christiana aevi moderni, quam occasionem nactus haec de S.N.P. Alfonso habet: « Ho letto in qualche parte un elogio della buona latinità di S. Alfonso de' Liguori: si sognava di paragonarlo a Seneca, ma non a S. Bernardo o a S. Agostino ». Nobis datum non est noscere librum ex quo cl. auctor notitiam de S.i Alfonsi latinitate extraxerit.

Jean CANU*, *Die religiösen Männerorden*. Paul Pattloch, Aschaffenburg 1960, 126. - Vol. VI seriei XII encyclopaediae *Der Christ in der Welt*. - Titulus editionis originalis: *Les ordres religieux masculins*. - Versio debetur R. Vey.

Liber spiritu vivo ingenii francogallici scriptus est. Optimo modo cognitionem Ordinum et Congregationum religiosorum hominibus modernis praebet. Attamen, uti in similibus operibus facile observatur, mendae vel levitatis causa ortae, passim occurunt. Ita ex.gr. cl. auctor, pag. 95, 96, Fundatorem nostrum discipulum S.i Pauli a Cruce facit: « Kurze Zeit darauf führt auch in Italien die Notwendigkeit einer Missionierung der ländlichen Gebiete zur Entstehung neuer Orden. Der hl. Paul vom Kreuz gründet 1720 zu Florenz eine Gesellschaft von Volkspredigern, die Passionisten... Sein Schüler, der hl. Alfons von Liguori, gründet bei Neapel 1732 die Priester-

kongregation vom allerheiligsten Erlöser... ». Adiungit pulchrum elogium spiritus atque apostolatus Congregationis nostrae.

Ceterum, notitia quoque de S. Paulo a Cruce correctione indiget: an. 1720 habitu ecclesiastico indutus est, attamen solummodo an. 1725 facultatem obtinuit, socios sibi adiungendi, scil. novicos assumendi, et an. 1737 primum conventum aperuit (Monte Argentario). Nobis non constat, inter duos sanctos, Paulum atque Patrem nostrum, relationes directas unquam exstisset.

Pag. 104 Redemptoristae, cum aliis societatibus religiosis recentioribus iterum nominantur, ubi cl. auctor de mira diffusione earundem societatum agit.

Pag. denique 115, 116 inter notitias « statisticas » nostra etiam familia exhibetur (pag. 115, sodales 8312; pag. 116, sodales 8038; unde differentia, nonclare elucescit).

Mario Bosi*, *S. Maria in Campo Marzio = Le Chiese di Roma illustrate* 61. Edizioni « Roma », Marietti, 1961, 80.

In hoc libello quaedam notanda occurunt quae mentionem in nostro *Spicilegio* merentur.

Pag. 37. Campanae appositae in « campanile a vela » ecclesiae S. Mariae, fusae sunt an. 1846 ab artifice Alexio Lucenti, qui postea, an. scil. 1859, duas campanas ecclesiae nostrae romanae confecit.

Pag. 42. Remittitur ad nostrum P. Clem. HENZE, eiusque opus *Mater de perpetuo Succursu. Prodigiosae Iconis Marialis ita nuncupatae monographia*, cum describitur Icona byzantina quae in altari maiori dictae ecclesiae ab antiquo veneratur. (Cfr fig. 5: Madonna « Avvocata »). Est tamen typus diversus ab illo quem exhibet nostra « Mater de perp. Succursu »; deest Infans, et Sancta Mater depicta est, faciem versus sinistram vertens, manum dexteram elevans, sinistram ad pectus tenens. Simillima est Iconae in ecclesiae S. Mariae in Ara Caeli expositae, atque, ut illa, arti S. Lucae Evangeliae attribuitur, iuxta consuetudinem medio Aevo caram, veneratas B.mae Virginis imagines sub lucano nomine repetendas.

Pag. 73, et Fig. 22. Agitur de pictura in muro (« affresco »), quae inventa est in antiquissima ecclesia seu potius oratorio S.o Gregorio Nazianzeno sacro, quod fuit vera ecclesia interna monasterii S. Mariae in Campo Martio, et superstructum est aedificio romano saec. IV ante Chr.n. erecto. Hac pictura praesentatur S.ma Mater, sedens super quodam throno, Infantem supra bracchium dexterum tenens, qui caput suum more infantium capiti matris inclinat. Hoc loco auctor libelli ad nostram Iconam remittit et recte quidem. Adiudicatur haec pictura saec. XII progredienti, adhuc artem byzantinam prae se ferens, revelans tamen spiraculum novae artis, cuius primus magister est celebris Cimabue († 1302).

Hans GELLER*, *Deutsche Künstler in Rom von Raphael Mengs bis Hans von Marées* (1741-1887). Herder, Roma 1961, 88 et 38 tabulae.

Auctor huius libri est artium liberalium indagator et scriptor, religionis lutheranae vel pressius sectae quae « Herrnhuter » vocatur, nunc in urbe Dresden vivens.

Quatuor nominat artium liberalium cultores originis germanicae qui cum

ecclesia nostra romana vel cum collegio propter artium opera ibidem exposita recordandi sunt: Franciscum von Rhoden, Jacobum Wüger, Gasparem von Zumbusch et Hermannum Schubert (1).

a) *Franciscus v. Rhoden* (1817-1903), Romae natus, cuius pater Ioannes Martinus Rhoden artis pictoriae cultor erat. Ad illam artis scholam pertinuit, quae « Nazarenorum » vocatur, quorum magister celeber Overbeck fuerat, qui per multos annos vicinus Villae Casertae habitabat (2). Auctor nominati libri haec opera pictoris v. Rhoden in nostra ecclesia vel in nostro collegio indicat: magnum illud « affresco » in apside ecclesiae factum, quo depictus appetit Ss.mus Redemptor, ecclesiae nostrae Titularis, ad eius lateribus Ss.ma Virgo et S. Ioseph (3); in collegio duae grandiores imagines, super lintea depictae quibus videndum exhibetur assistentia illa a S.o Alfonso morienti Summo Pontifici Clementi XIV praestita, et apparitio B. Mariae Virginis eidem Sancto elargita dum in oppido Foggia ante eius imaginem praedicat (4). His imaginibus addenda sunt duae aliae magnae imagines, item super lintea depicta, quibus Principes Apostolorum monstrantur, S. Petrus et S. Paulus (5).

b) *Iacobus Wüger* (1829-1892), magis notus sub nomine P.is Gabrielis OSB ex Congregatione Beuronensi, unus fundatorum scholae pictoriae « Beuronensis » (6). An. 1863 Romam venit, ubi ad religionem catholicam con-

(1) De his artium liberalium cultoribus in noto illo *Künstlerlexikon* auctorum THIEME-BECKER ampliores notitiae, sub eorum nominibus, exhibentur. Ceterum, in melioribus operibus artibus describendis dicatis, de his artificibus utiliter legendum erit.

(2) Overbeck cum sua familia usque ad an. 1858 in Via delle sette sale, in domuncula quadam, vicinissima aedibus Caetanis (Villa Caserta) habitabat; cfr *Status animarum eccl. par. S.i Martini ad Montes*, vol. 28-38, ad ann. 1848-1858. *Arch. Vaticanum*, sectio arch. Vicariatus Urbis.

(3) Opus pictorum domini v. Rhoden initium habuit an. 1856 17 IX, cum nova constructio vix sub tecto erat (1856 ad finem mensis II). Hiemali tempore pictura interrupta est, et sequente anno 1857 ad finem perduta (notitia ex libro Chronicarum Domus generaliciae). De hoc « affresco » facta est imago, arte, quam « lithographiam » vocant, producta. Imago subscrribitur his verbis: « Affresco nella chiesa del S.S. Redentore de' R.R.P.P. dell'Ordine di St. Liguori à Roma ». Subter imaginem leguntur hae indicationes: « F. de Rhoden dipinse ». - « Verlag v. F. Gypen in München ». - « Pat. Bernardo Ma. Jeckel da Monaca [sic] Cappno: incise a Roma ». Cappuccinus ille, hic nominatus, Monacensis (1824-1884), pictor, sculptor bonaet notae, 1840 Romam petuit, ac 1847 Ordinem Francisculum Capuccinorum ingressus est; ann. 1853-1858 iterum Romae degit, artibus deditus; 1866 in longinquam rempublicam Mexicanam profectus est, at 1870 Romam revertitur; sed regulariter perpetuam saecularizationem adeptus, in Peruviam abiit, ubi Limae vita cessit. - Cfr *Lexicon Capuccinum*, Roma 1951, col. 211. Vide etiam [Al. WALTER], *Villa Caserta*, Roma 1905, 56.

(4) Duae grandes imagines, an. 1859 confectae primum expositae sunt in primitivo oratorio domus generaliciae; at, cum novum oratorium, forma « gotica » constructum (an. 1905), nullum praebaret parietem tantis imaginibus appendendis aptum, in atrio eiusdem oratorii collocatae sunt, ubi tamen, propter earum mensuram nimis magnam, non tam bene conspici possunt. - Cfr [WALTER], *loco cit.*; Cl. HENZE, *Sanctuarium romanum quodam artis christiana habitaculum: Analecta* 26 (1954) 94-95.

(5) Hae duae imagines, altitudinis quasi quatuor metrorum, de quibus Geller non loquitur, primo tempore collocatae sunt in specie suggestorum qui ad latera presbyterii erecti sunt, postea autem in novam sacristiam translatae sunt, ubi primum in pariete versus presbyterium, deinde in pariete opposito pependerunt. Recentissima peracta sacristiae innovatione (1961) remotae sunt. - De his imaginibus cfr [WALTER], *loco cit.* 56.

(6) Schola « Beuronensis » suo tempore magni facta est, maioraque opera, uti capella S. Martini apud Beuron, et multo magis ornatus pictoriis memoriae S.i Benedicti

versus est; certe notus fuit P.i nostro Lammens (7), tunc in collegio generalicio, artium amico et artium cultori. Habemus opus non spernendum domini Wüger, altaris scilicet « predella », seu antependium depictum, in quo apparent Ss.mus Redemptor tamquam « Salvator mundi », ad eius dexteram Sancti Ioannes Evang., Eduardus rex, Nicolaus; ad sinistram Sancti Ioseph, Michael Archang., Alfonsus. Haec « predella » olim erat in ecclesia ad altare B. Mariae V. Immaculatae; an. 1932, quando scil. nova altaria secundaria erecta sunt, quodammodo latuit, exinde in atrium archivi generalis translatum est, ubi eam auctor libri vidit, at recenter in magnum atrium Academiae Alfonsianae locum obtinuit.

c) *Gaspar von Zumbusch* (1830-1915), notus in arte sculptoria et fusionis aeris. Romae degit ann. 1857 et 58. Auctor noster magno huic artium magistro (8) statuas quasdam Sanctorum (« einige seiner Heiligenstatuen ») attribuit, olim in nostra ecclesia expositas, at an. 1957, quando scripsit, non amplius inventas. Notandum est, auctorem huius libri ecclesias et conventus Urbis sedulo peragrasse, ut de notitiis quas paraverat, certiore se ipsum redderet. De his statuas ne nos quidem aliquid certi invenire potuimus, nec omnino certi sumus, has statuas unquam in nostra ecclesia existisse (9).

d) *Hermannus Schubert* (1831-1917), sculptor bavarus; ann. 1856-72 Ro-

in Archicoenobio Monte Cassino universalis admiratione collaudata sunt. Aestimatione generali artis nostris temporibus mutata, opera praeponitiae artis uti experimentum potius historicum considerantur. Cum vero « predella » a Wüger depicta, de qua agimus, ad prima initia futuri artis pertinent, documentum historicum certi valoris est.

Notatum dignum, Wüger, aliosque artis sodales, amicos nostri P.is Lammens, uti inquisinos nostros, in aliqua nostra domuncula habitasse, usque ad tempus demolitionis et destructionis sic dicti « Noviciatus », ann. 1868-69, quod nostris diebus locum cessit Academiae Alfonsianae, in cuius atrio, ut supra diximus, « predella » nostra collocata est, seu in illis partibus, ubi ante centum annos creata est. - Walter de hoc artifice non loquitur.

(7) LAMMENS Ioannes, *13 X 1823, prof. 7 III 1861, sac. 21 V 1864 (Prov. Belg.). Ante ingressum in CSSR uxorem duxerat, filios filiasque habuit; viduatus, statum religiosum sacerdotalem amplexus est. Erat artium amator, artificum amicus, ipse artium executor; die 19 X an. 1864 Romam vocatus, mox cum multis pictoribus, sculptoribus aliquique artificibus vivum commercium initit. Mortuus est in loco originis Meirelbeke, prope urbem Gand (Belg.), ubi matrem morientem visitaturus advenerat, sed mox, ipse morbo corruptus, die 6 X an. 1875 occubuit. Inter amicos suos connumerandus est Iacobus Wüger, aliquique multi. - Cfr AG Personalia, Lammens.

(8) Zumbusch, oriundus e Westfalia (Germania), ab an. 1871 in Academia artium Vindobonensi professor erat; ibidem celebriora quaedam monumenta maxima arte creavit, ut imperatricis Mariae Teresiae, archiducis Alberti, ducis exercitus Radetzky, quibus famam « internationalem » sibi acquisivit.

(9) Sex altaria secundaria nostrae ecclesiae inde ab initio statuas decorabantur quae e Bavaria veneerunt, uti supponendum est, ab artis Instituto Müller, tunc temporis celebrius propter ingentem « productionem » sacrarum statuarum ex massa quadam artificiali confectarum. Walter et Chronica Domus generaliciae explicite notant, altarium statuas inde provenisse (*loc. cit.* 54). Haec altaria ann. 1932 et 1939 novis altariis e marmore factis locum cesserunt; statuae per domum collocatae sunt.

Habentur in ecclesia aliae statuae sacrae, prope ingressum maiorem, Domini Nostri scilicet in Cruce, cum Maria et Ioanne, atque eiusdem Domini Nostri in passione constituti; sed et haec statuae (sine signo artificis) ex eadem « massa » fabricatae sunt ac illae olim altarium; Walter et Chronica de his nihil habent. Auctor libri notitiam de statuis Sanctorum, a magistro artis sculptoriae Zumbusch creatis et in nostra ecclesia aspectu propositis e *Künsterlexikon* auctorum Thieme-Becker desumpsit; at videtur agi de quodam errore.

mae vixit. Amicus fuit P. is nostri Lammens. In arcu seu apside novae sacristiae habetur magna sculptura, coloribus depicta, qua monstratur maestum iter quo corpus emortui Salvatoris ad sepulchrum portatur. Est autem species descriptionis gypso parata, quae postea marmore fuissest elaboranda. Quod opus cum adversis condicionibus supervenientibus exsequi non potuissest, delineatio gypso facta, et, ut diximus, decentissime coloribus ornata, in nostra sacristia collocata est (10).

Seraphinus DE ANGELIS*, *De fidelium associationibus tractatus ratione et usu digestus.* II voll. Neapoli, D'Auria, 1959, XXXII-342; XX-493.

In hoc utilissimo et diligentissimo studio noti auctoris, uti palam est, etiam de nostris peculiaribus associationibus sermo est.

In II vol., sub nn. 409-414 agitur « De Archisodalitate sub titulo et invocatione B. Mariae Virginis de perpetuo Succursu et S. Alfonsi M. de Ligorio »; praemittuntur (409) « Notitiae historicae », agitur de eius fine (410), ordinatione (411), cooptatione (412), beneficiis (413), et demum de favoribus spiritualibus (414).

In eodem volumine, nn. 328-334, altera sodalitas nostra propria praesentatur: « De Archisodalitate B.M. Virginis in Caelum Assumptae pro iuvandis animabus in Purgatorio detentis ». Descriptio hoc modo fit: Notitiae historicae (328), societas finis (329), cooptatio (330), moderatio (331), monita (332) et obligationes (333), denique favores spirituales (334).

Denique, in eodem volumine, nn. 228-232, tertia adhuc sodalitas nostris concredita describitur, ubi agitur « De Archisodalitate Eucharistici Cordis Iesu ». Dantur notitiae historicae (228), notantur sodalitatis finis (229), cooptatio et regimen (230), atque obligationes (231) et favores spirituales (232).

In I vol. cl. auctor inter alia historiam texit Institutorum saecularium, in qua initium sumit ab Ordinibus et Congregationibus religiosis, conducendo lectorem ad institutionem sodaliciorum eidem christianaee perfectioni addictorum ac antiquiores institutiones Ordinum atque Congregationum. Sub n. 215, variis enumeratis Congregationibus, nostram quoque nominat « quae originem repetit a S. Alfonso de Ligorio (1740) »; errore forsitan typographico pro « 1749 » quo anno Congregatio nostra pontificiam adepta est approbationem.

Paul M. KRIEG *, *Die Schweizergarde in Rom.* Räber-Verlag, Luzern 1960, 564, ill.

In magno hoc opere quo historia cohortis militum Helvetiorum Romanorum Summorum Pontificum a magistro pietatis eorundem Paulo Krieg (post servitium plus quam 25 annorum honestissime suo munere soluto) enarratur, pauca quaedam inveniuntur quae ad Nostros quodammodo referuntur.

Unus etenim illorum helveticorum militum pietatis magister seu capellanus ille fuit Henricus Vincentius Rigolet (1753-1832), qui cum S.o Clemente Hofbauer (1) litterarum commercium habuit. An. 1798, post Hel-

(10) Cfr [WALTER], *loco cit.* 57, ubi etiam P. Lammens nominatur, uti is qui opus sculptoris Schubert pro nostra sacristia acquisivit.

(1) Nominando S.um Clementem, placet nobis remittere ad novissimum opus professoris nuper emortui Fritz VALJAVEC: *Geschichte der abendländischen Aufklärung* (Herder,

vetiam a militibus rei publicae francogallicae vi subiugatam, cum sacerdos Rigolet iniustum iuramentum clero catholico tunc impositum praestare noluissest, in Austriam emigravit et in urbe principe Carinthiae, Klagenfurt, in ecclesia principalis (Stadt-Hauptpfarrkirche) servitium religiosum suscepit. Amicus fuit alterius sacerdotis helveticus, Iosephi Helg, cuius nomen etiam in historia S.i Clementis recurrerit, necnon noti ex-Iesuitae Dießbach, et sic cum nostro Sancto relationes epistulares intexuit. Iam an. 1780 pro sua erga Patrem N. Alfonsum veneratione Neapolim petiit, et Sanctum Episcopum, in nostra domo de Pagani viventem, maximo respectu visitavit. Hic ergo duorum Sanctorum Alfonsi et Clementis devotus admirator, denique, an. 1825 apud helveticos milites custodiae pontificiae cappellanus est nominatus, sed iam an. 1829 propter gravem aetatem muneri renuntiare coactus est: sacerdos vere pius, dignus nostrorum Sanctorum necessitudine. Auctor libri de sac. Rigolet agit pp. 419-420 (2).

Notare porro volumus, nominari quoque in hoc libro quendam antenatum nostri P. is Allet, quondam Provincialis in Hispania et deinde Consulteris generalis RM Murray. Familia Allet inter antiquiores atque nobiliiores familias urbis Leuk, in Valesia (Wallis, Valais) in Helvetia connumeratur. An. 1554 « Petrus Allet de Valesia » inter iudices cohortis militum Helvetiorum comparet (p. 537, n. 20) (3).

Denique ad praedicatores sacrorum exercitiorum ad milites helveticos veniamus. Cl. mus auctor p. 429 de his piis exercitationibus loquitur, quae quovis anno a dictis praetorianis Summi Pontificis absolvendae sunt. Ann. 1864, 1867 et 1869 Cons. noster gen. lis P. Haringer has spirituales exercitationes direxit, uti ex nostris Chronicis Domus generaliciae habetur. Mons. Krieg, uti patet, celebriores tantum praedicatores expresse nominat, ita ut nomen nostri P. is Haringer excidit. Curiositatis causa advertimus, recentissimis quoque annis quandoque P. em nostrum helveticum vocatum fuisse ad exercitia spiritualia dictis militibus praedicandum, imo, etiam Fratrem laicum helveticum ad culinam bonorum praetorianorum debite curandam.

Giuseppe FABIANI*, *Le Missioni in Ascoli [Piceno] di P. Paolo Segneri e di S. Leonardo da Porto Maurizio (1689, 1739)* in: *Miscellanea Francescana* 60 (1960) 455-482.

Descriptiones Missionum ad populum, habitarum a celebri missionario S.I. P. Paulo Segneri et a S.o Leonardo a Portu Mauritii, in civitate Ascoli Piceno, in illa Italiae parte quae antiquo nomine «Picenum», moderno autem «Marche» vocatur. Pro historia Missionum sacrarum atque pro methodo adhibita examinandis, hae descriptiones, documentis confirmatae, valde utilles sunt. Notandum, auctorem provocare ad nostrum S.um Alfonsum tamquam testem personalem de peculiari auctoritate praedicationis S.i Leonardi, praeter alios duos Sanctos, item testes oculares, scilicet S.um Ioannem

Wien, München, 1961), a librorum censoribus expertis magnis laudibus exaltatum, in quo (p. 20) cl. auctor Sanctum nostrum evocat ut caput et principem motus illius renovationis vitae et spiritus catholicae, ingenio « Illuminismi » fortiter oppositi.

(2) De epistulis domini Rigolet ad S. Clementem nihil nobis servatum est; circa epistulas eiusdem ad P. em Tannoia et RM Blasucci cfr *Spic. hist.* 7 (1959) 28-30, nn. 1 et 2; ceterum vide *Mon. Hofb.* XV 196 (Index). Notitiae erui possunt etiam ex *Hist.-biograph. Lexikon der Schweiz*, ad voces Dießbach, Helg et Rigolet.

(3) De nostro P.e Allet, Cons. Gen.li vide *Spic. hist.* 2 (1954) 66 et 236, n. 2.

Bapt. De Rossi et S. um Paulum de Cruce (pag. 464). Hac pagina, in nota 34, lector remittitur ad opus RP. Gustavi CANTINI OFM, cui titulus: *Uno scelto operaio nella messe: S. Leonardo da Porto Maurizio e la sua predicazione* (Roma, Cuggiani, 1926), opus inter nostros forsitan vix cognitum, at utilissimum illis qui circa artem oratorium sacram et missionalem institutionem quaerunt. Laudatus Cantini, pag. 113-114, de tribus Sanctis, supra nominatis testibus in laudem sancti missionarii franciscalis, explicita verba transscriptis (De S. o Alfonso provocat ad *Lettere I* 474 et *II* 232-233).

LIBRORUM CENSURA

Salvatore GIAMMUSSO, *I Redentoristi in Sicilia. Memorie Bicentenarie, 1761-1961*; Palermo-Uditore, Collegio PP. Redentoristi, 1960; pp. 275, ill.

Opus suum cl. auctor scripsisse fatetur actus duplici stimulo: alio intimo ac personali, cuius virtute — dum se ad laborem edendum accinxit — intendit votum strictum explere ab ipso tanquam Superiore prolatum atque in praefatione enarratum; alio autem externo et occasionali, quo impellitur ut haec synthesis historica in lucem proimat recurrente nunc secundo Centenario a primordiis Siculae foundationis. Proinde, sicuti ex operis subtítulo nitet, nobis porrigit praesertim memorias bis centenarias, quae compendiosa ac plana forma vestiuntur, ne taedio afficiant legentes. Hunc memorialem finem quo plenius assequatur, materiam auctor apte distribuit in partes duas, quarum prima obiective res gestas illuminat, altera viros clariores encomiologicē signat.

In prima equidem parte, antemisso brevi excursu de Missionis siculae praeambulis (pp. 13-31), ante lectoris oculos subicitur celeri calamo prospectus historiae bis saecularis usque ad hodiernos dies tractus atque sublineatis eiusdem tribus maioris momenti periodis (pp. 31-92); his additur peropportuna exploratio de activitate missionaria ac de illius specificis characteribus in Sicilia (pp. 92-125); postmodum successivis paragraphis enucleatur ortus et progressus singularum sex domuum, quae S. Alfonsi militibus apostolicis castra et praesidium obtulerunt (pp. 125-161).

Pars operis altera personas potissimum respicit, ex quibus extollendos delegit viros meritis praestantiores: S. Alfonsum quatenus Siculae foundationis promotorem et patronum, Rev.mum P. Petrum Paulum Blasucci, S. Alfonsi in Sicilia bracchium dextrum, Rev.mum Episcopum Andream Lucchesi, missionariorum advocatum atque benefactorem, Rev.mum P. Blasium García, primum inter Redemptoristas siculos sodalem egregium (pp. 161-209); quibus phalanx sociatur eorum, qui sive virtutum nitore, sive calami exercitio, sive episcopali dignitate aut conspicuis in Congregatione functi muneribus posteritati memoriam sui mandarunt (pp. 210-237). Practica totius operis appendix congerit triplicem personarum elenchum: a) Superiorum provincialium; b) Superiorum localium, qui successive singulis sex dominibus praepositi sunt; c) Confratrum, qui temporis intervallo bis saeculari pie obierunt in Domino; fideles vocationi suae (pp. 238-254). Explicit volumen cum bibliographia fontium archivalium et operum de materia praesupposita tractantium necnon cum indice personarum ac locorum alphabeticō.